Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johannes Freder

JOHANNIS FREDERI || ORATIO || DE || DIGNITATE ET || PRAESTANTIA DO-||ctrinae caelestis, initio || praelectionis Catecheseos || habita.||

Excusa, Rostock: Möllemann, Stephan, 1584

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1041388195

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

A – E.
A – B.
A – B. 12 Bi
A – F.
A – C.
A – C.
A – B.
A – C.
A – E.
A – B.
A – B.
A – B.
A – F.
A – H.
A – D.
A – C.
A – E.

Sm – 4303 1-17.
51a. 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1041388195/phys_0002

JOHANNIS FREDERI ORATIO DE DIGNITATE ET PRÆSTANTIA DOctrinæ cælestis, initio prælectionis Catecheseos habita.

Excusa
ROSTOCHII
Typis Myliandrinis.
ANNO
CIↃ IↃ XVIC.

2
[1584]



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1041388195/phys_0005

EPIGRAMMA.

NOn est vtilior, nec res præstantior vsq;
Vlla sub ætherei solis vtraq; domo;
Siue refulgentis scruteris sidera cœli,
Seu mare, quadrifidæ seu graue pondus humi;
Quàm quod diuinis cantatum dogma prophetis,
Attulit è patrio filius ipse sinu.
Ex quo concessæ pendet spes tota salutis,
Veraq; ceu viuo gratia fonte fluit.
Ex quo peccatis & tristibus obruta curis
Pectora solamen, quò recreentur, habent.
Noscere surgentis quin si cui tempora mundi,
Et rerum exortum, principiumq; libet:
Certior historiæ series est nulla vetustæ,
Quàm qualem Amramidæ pagina sacra refert.
Talia cœlesti dum plenus numine tradis,
FREDERE Aonidum, Christiadumq; decus:
Optimus vt genitor docuit, patris optime fili,
Officium Mystæ recta docentis obis,
Annuat omnipotens, & quo modò fungere, munus,
Esse salutiferum frugiferumq; velit.
Sinceraq; scholis innoxia tempora pacis
Donet, & has supera firmet & ornet ope.

M. CHRISTOPHORVS HEIL.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. VLRICO, DVCI MEgapolitano, principi vetustæ gentis Henetæ, Comiti Suerinensi, Rostochij & Stargardiæ Domino, Dño suo clementiss.

SPlendidus excelso veluti Sol fulget olympo,
Claris qui totum radijs illuminat orbem,
Omnia viuifico recreans animata calore:
Inclytus in patriis sic Princeps emicat oris,
Qui pius assertor verbi, quo sydera adimus,
Sancta Lycea fouet totius lumina vitæ,
Iustitiam rerum normam, pacemq; salutis
Conseruatricem populis impertit & ornat.
O felix regio, cui Diuum munere talis
Contigit, & multos Dux florens viuit in annos.
Non opis est hominum dignas persoluere grates
Seruatori hominum vitæ mortisq; potenti
Tam pro magnifico, longè lateq; salubri,
Tam celebri, tam præclustri, tam diuite dono.
Omnis enim summo est à regum rege potestas:
Ille salutarem populis & laude vehendum
Egregiaq; Ducem tribuit virtute decorum:
Vt pia Relligio lætos ferat obuia gressus
Astreæ, Aönias honor almus nutriat artes,
Incolat & dulcis subiectas copia terras.
Clara Dei Princeps tam præstans fulget imago.
Talis in Herculeis floret regionibus Heros

VLRICVS, procerum lumen, nitor inclytus æui,
Cui viget augusto generosum in corpore pectus,
Qui fouet ætherei sincera oracula verbi,
Qui sanctas, præclara, Scholas, fundamina terræ
Et paradisiaci plantaria splendida cœli,
Et decus, & columen vitæ, fontesq; bonorum,
In patria nutrit, patriæ ius, fasq; tuetur:
Quæ pia facta pio sunt pectore & ore canenda,
Gratia virtutum mater, nutricula vitæ est.
Hæc nuper cecinêre mihi Dux optime Musæ.
Ergo tuum sibi præscribens Oratio nomen,
(Aurea quæ pandit Diuini encomia verbi)
Indicium gratæ, tibi, sit, quam debeo, mentis.
Summus Rex animæ, Dux vitæ maximus, orbis
Optimus assertor, (cui reges, regnaq; curæ
Præstantesq; Duces, Heroinæq; benignæ,
Qui sobolem heroum seruat decoratq; piorum)
TE PATRem PATRiæ, patria virtute vigentem,
ELISABENq; toro, regali e stemmate, iunctam,
Munificam patriæ matrem, patriaq; celebrem
Regna dignis virtutibus Heroinam,
Et Regem generum, & Natam, neptesq; nepotesq;
Et florem patriæ, & patriam patriæq; patronos
In Pyliæ seruet Neleia fata senectæ.

Illustriss. Cels. T.
reuerenter colens
IOHANNES FREDERVS
hoc tempore Rector Acad. Rostoch.

DE DIGNITATE ET præstantia doctrinæ cœlestis.

ORATIO IOHANNIS FREDERI.

PRimam & præcipuam omnium hominum curam & laborem esse vult Deus generis humani conditor, vt se vitæ datorem, & omnium in cœlo & terra bonorum autorem agnoscant, inuocent, venerentur & celebrent. Ideo enim condidit homines, & ratione atq; oratione ornauit, vt sint eiusmodi in hoc mundo creaturæ, cum quibus sese, suam bonitatem, iustitiam, &

latitiam tum in hoc seculo, tum in omni æternitate communicet. ideo se misso filio patefecit, vt quos ad vitæ diuinæ societatem homines fecerat, ij tanquam ex ipsius ore, cùm de rerum omnium ortu, generisq; humani origine & horrenda defectione ac lapsu, tum de reconciliatione & integra in altera vita restitutione docti, in horum mirabilium Dei operum consideratione, immensam ipsius potentiam & sapientiam, iustitiam et veritatem immutabilem atq; inexhaustam bonitatem & clementiam cognoscerent, nec solum verè esse Deum statuerent, sed affici eum cura hominum: siquidem

quidem eos æternorum bonorum hæredes per filium instituit. Ac harum quidem admirabilium rerum, & latentis in occulto veritatis diuinæ notitiam, veram scilicet Dei agnitionem ab hominibus & inquiri vult in verbo reuelato, & fide promißis ipsius nitente, oblata bona accipi; & grata mente, quæ in Deo latetur, eadem prædicari: quæ vna sola ratio est ab ipso conditore rerum monstrata: qua iustitiam, lucem & vitam, omniaq; cœlestia bona homines consequuntur. Nec vlla est alia vel melior vel maior sapientia, quàm vera de vero Deo & redemptore nostro Iesu Chri-

ſto doctrina: quæ vnica firmiſſimam conſolationem in omnibus ærumnis, & gubernationem morum & vitæ in rebus maximis, & ſalutem ac gloriam animarum et corporum æternam adfert. Quare ad veræ religionis cultusq; diuini ſcientiam animos hominum erudiri & informari, & in cœleſtibus oraculis diſcendis & percipiendis occupari, tam nobis dignum, tam neceſſarium, tam ſalutare eſt, vt nihil homine dignius cogitari, nihilq; magis neceſſarium fieri, nihil deniq; ſalutarius à nobis optari poſſit. Quæ de re in præſentia dicere operæ precium, et prælectioni elementorum

doctri-

doctrina cælestis, quæ vsitatè Catecheseos nomine appellamus, conuenientissimum esse existimaui. Deum æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI tota mente atq; omni animo oro, vt de re tanta dicturi mentem & linguam clementer & benignè doceat & gubernet. A vobis etiam reuerendi & clariss. ornatissimiq; viri, & adolescentes studiosissimi, reuerenter & amanter peto, vt me de argumento grauissimo, & ad omnium nostrum studia rectè instituenda, & æternam animarum salutem pertinente verba facientem, vel potius balbutientem, beneuolè & candidè, attenteq;

audiatis. Etsi. n. doctrinæ à Deo Ecclesiæ traditæ dignitatem & splendorem et vtilitatum amplissimarum vbertatem in hac orationis & ingenij mei tenuitate dicendo persequi, et laudatione mea exornare non possum: spero tamen, ex propriis eius, quibus ipsa per se splendet & abundat laudibus, me aliquid decerpentem, orationi meæ incomptæ & ineleganti nonnihil ornamenti ac venustatis adiuncturum esse. Quæ. n. doctrina aut origine nobilior, aut temporis longinquitate vetustior, aut certitudine & veritate firmior, aut perfectione consummatior, aut deniq; vtilitate fructuosior,

aut

aut consolatione suauior, aut fine salutarior cogitari potest?

Sanè, vt ab origine ordiar, non Moyses ille primæ mundi historiæ scriptor, & dux chori prophetici ac Theologiæ Oceanus, non Solon Atticus, non Lycurgus Lacedæmonius, non Persarum Magi, imò ne Apostoli quidem ipsi, veræ Theologiæ nominandi mihi inuentores sunt, sed vnicus ille atq; æternus Deus, Pater, Filius & Spiritus S. rerum omnium moderator ac dominus. In huius sacrosanctæ Trinitatis venerando consessu et sanctissimo concilio huius abditæ sapientiæ origo quærenda est. Ex

patris

patris enim sempiterni sinu hæc arcana accepimus, è filij vnici & diuinitatis consiliarij intimi ore hanc salutarem vocem hausimus, & à sancti Spiritus numine & ministerio, vera religione sumus imbuti. O generosam stirpem & verè nobilem originem doctrinæ cœlestis, quæ ex tàm sancto & augusto fonte Deo ipso defluxerit. Etsi autem & aliarum artium scientia & consilij dandi prudentia, atq; adeò omnis honesta doctrina à Deo ortum habet, ab eoq; omnis sapientiæ fonte in animos hominum tanquam riuuli sunt deriuati, & in vniuersam humani generis societatem longè

lateq;

lateq; promanârunt: tamen Ecclesiæ doctrina, licet ex eadem scaturigine diuinæ mentis profluxerit, nobiliorem sanctioremq; originem habet. Nam reliquæ quidem noticiæ & principia scientiarum atq; artium, tàm earum, quæ in contemplatione versantur, quàm earum, quæ in agendo exercentur, hominibus in prima conditione sunt insita et sub rationis intelligentiam cadunt, & cum hominibus nascuntur: At verò Ecclesiæ sapientia non ita in mentibus hominum natiuo quasi semine procreatur, sed sublimiore quodam modo, diuinis videlicet oraculis ab opifice ipso nobiscum

ex

ex summa arce communicata est, quæ non solum sancti homines diuino spititu afflati fuderunt: sed Deus ipse ex arcana sua sede prodiens statim initio et deinceps sæpe immensa bonitate se patefecit, & post quam primis hominibus viua voce verbum tradidit, eorum etiam sanctis posteris est locutus, & in forma hominis eos aspexit, (vt de hac familiari patefactione atq; intuitu Dauid sibi gratulatur) & λόγον sibi consubstantialem oratorem, atq; interpretem arcani consilij sui ad mortales misit. Quod beneficium, cùm longè maius sit ac excellentius, quàm vt vlla humana vel angelica voce satis extolli

tolli poßit, nec quicquam nobis eo præstabilius datum sit: vel non amplecti, vel etiam contemnere, perinde quasi non etiam ad nos pertineat, omnium flagitiorum atrocißimum esse meritò iudicatur. Nec enim oracula, quibus Adamum, Noham, Abrahamum, Moſen, Samuelem, Dauidem, Danielem aliosq́, Deus affatur: nec deinde Christi seruatoris iam exhibiti, et in Iudæa publicè populos docentis conciones, promissa, et consolationes, ad eos tantum referendæ sunt, qui tunc vixerunt & coràm uiuas audire et reddere uoces potuerunt: Nobis omnibus illa & dicta et scripta sunt, de nostra

salute,

salute, vita, & æterna beatitudine nostra in illis agitur: Nos sub peccato & morte laborantes & oneratos, dulcissima illa voce: venite ad me omnes, *inuitat Dominus & seruator noster IEsus Christus, Nobis leuationem oneris peccatorum & quietem pollicetur: Nos erigere & sustentare suauissimis promissionibus conatur. Pietatis igitur & gratitudinis nostræ est, vt pro hoc ingenti beneficio coram facie Dei prostrati iaceamus, & summa animorum reuerentia et subiectione agnoscamus benignitatem Dei longè maximam, quòd præter æternæ legis naturalem notionem,*

quam

quam mentibus nostris in prima creatione ipse impressit, voce etiam sua miserum genus mortalium dignatus est: cùm & in legis promulgatione, quam ingentibus miraculis in monte Sinai renouauit, eiusq; verba ipse sua voce pronunciauit, & in promissionis reuelatione, cum hominibus aut ipse sermonem communicauit aut per internuncios voluntatem suam expressit. Quo in beneficio aut cœlestium spirituum aut sanctorum hominum opera & ministerio est vsus. Qua ex re non solum Ecclesiæ doctrinæ nobilissimam & diuinam originem: sed paternam etiam Dei Opt:

Max: benignitatem ſaluti noſtræ conſulere cupientis præclarè perſpicimus. Quod ſi propter regni maieſtatem, regum vel edicta veneramur, vel liberaliores ſermones (ſi fortè nos, qui humiliore ſumus conditione et fortuna affari ſuſtineant) in beneficij propemodum loco putamus; & hac quaſi felicitate gloriamur: Quanti hoc eſt faciendum, quod ille mundi effector ac procurator Deus cum hominibus loqui non eſt dedignatas? Hanc verò ob cauſam voluit verbum ſuum, & tot inſignes patefactionum ſuarum hiſtorias literis mandari, hanc ob cauſam euangelij miniſterium ordinauit,

vt

vt doceamur & sciamus, eum et nos respicere, & in nostro cœtu versari, & nostræ salutis causa omnes omnium ætatum patefactiones literis mandari ac monimentis Prophetarum & Apostolorum consignari voluisse; ad quæ tanquam regulam in omni cogitatione de rebus diuinis, de essentia, de voluntate & cultu Dei mentes nostræ dirigerentur.

Hæc de origine verbi Ecclesiæ traditi nobilissima, principiò delibare volui. Vetustate autem, rerum omnium initium & conditionem antecedit, & in ipsa mundi nascentis fabricatione exeritur. Sola enim ecclesiæ religio hac ve-

tuſtiſſimæ antiquitatis nobilitate præſtat, quòd de mundi, rerumq; omnium initio & fabricatione narrationem fide dignam & certiſſimis autoribus ad poſteritatem propagatam habet. Nulla profectò apud vllam gentem monumenta extant, in quibus aut de hominis conditione, eiuſdemq; deplorando lapſu, de peccati et mortis atq; omnium malorum principio & cauſa, aut de recuperatione amiſſæ ab homine integritatis ac beatitudinis, & generis humani per Semen promiſſum inſtauratione reſtitutioneq;, vlla fiat mentio. Iam verò de prima coniugij origine, de politiarum, de iudicio-

diciorum & legitimarum pœnarum legibus, ab initio diuinitus ſancitis, nulla hiſtoria gentilium attigit. Quæ omnia niſi à Moſe diuinarum rerum explicatore grauiſſimo tradita eſſent, hominum inuenta, non Dei inſtituta, & conſuetudinis potius diuturnitate valere, quàm omnipotentis numinis beneficio conceſſa eſſe exiſtimarentur. Quinetiam de gentium vel omnium vel celeberrimarum primis conditoribus nuſquam alibi, quàm in libris ſacris, quicquam monumentis eſt commendatum. Ac nos quidem qui conceſſu ac munere Dei res omnium ætatum commentariis

antiquiores ex Moysi commentariis eruimus, temporumq; memoriam inde ab initio replicamus, magnam capimus voluptatem, quando ex Nohæ tribus filiis quasi primis stirpibus copiosissimam posteritatem, in populos innumerabiles & creuisse & in immensas terrarum regiones longè lateq; diffusos recognoscimus, in quorum plerisq; autorum nomina à Mose commemorata, etiamnum paululùm mutata remanent. Quorum primam originem cùm ex ipsis conditoribus deducit mens nostra quàm longissimè spacium, præteriti temporis non modò ad Noham vsq; respiciens, verùm

etiam

etiam inde à primo homine vltimam repetens memoriam: non modò admiratione tantarum rerum afficimur: sed, quod plurimum prodest, religionis nostræ firmum inuenimus præsidium atque adiumentum: & contra falsas opiniones munimur, ne mundum mortaliumq; genus vel casu extitisse, (vt Epicurus) vel ab aterno fuisse, & in sempiternum hoc statu mansurum esse (vt alij) statuamus. Isti verò qui hac luce veritatis & teste antiquissimorum temporum sacra historia destituti solius rationis ductum sequuntur, quando neq; homines aliter, quàm ex maris & fœminæ

coniunctione nasci posse vident, & dum vtriusq; sexus homines erunt reliqui, procreationis finem nullum possent prospicere, fit vt nec primum hominem nec vltimum cogitatione queant comprehendere: sed hominibus aliis morientibus, aliis nascentibus, sempiternas infinitorum seculorum ætates somnient. Præterea regnorum tùm initia, tùm in illis mutationum causas, Ecclesiæ veræ principium, cœlestis doctrinæ in sanctis Patriarcharum familiis conseruationem, cõtraq; idolatriæ & superstitionum ortum & propagationem, nulla antiquitatis commemoratio in Ethnicorum scri-

scriptis à tàm vetustis initiis recenset, & velut riuos à fonte deducit, quàm illa à primis temporibus & capite vsq; arcessit Mosis historia.

Clarius etiam hæc doctrinæ nostræ antiquitas perspicitur, si sacrorum monumentorum cum prophanis historiis quædam ex temporum ratione fiat comparatio, & quasi contentio. Nam Babylonij quidem & Chaldæi, quibus accuratissima, in temporum atq; antiquitatum notatione diligentia quondam tributa est, annalibus suis, quos ad motuum cœlestium certissimas & perennes obseruationes confecerunt, non

amplius mille nongentorum & trium annorum spacium sunt complexi, vt Simplicius, Aristotelis interpres eruditissimus alicubi commemorat: cuius quidem interualli initium ad annũ orbis conditi millesimum septingentesimum tricesimum primum congruere ratione subducta reperitur.

Ex quo intelligitur, prope bis mille annis, Babylonicarum & Chaldaicarum rerum memoriam sanctarum literarum monumentis esse recentiorem. Herodotus verò (qui inter Græcos scriptores vetustissimam annorum seriem perpetua rerum gestarum narratione continuat, & suauissimo

mo genere orationis instar limpidissimi amnis fluente, res memorabiles explicat) temporibus Xerxis & Artaxerxis circa annum mundi 3540. floruit, & à Gyge Lydorum rege, Crœsi abauo, qui circa annum mundi 3250. regnum adeptus est, historiæ suæ sumit initium. Vnde patet, etsi Herodotus Iouis Hammonis in Libya, & in Græcia Iouis Dodonæi oracula & miracula vetustissima esse putat, quanquam illa quidem ficta sunt: tamen res illius amplius tribus annorum millibus Mosis antiquitates sequi. Quippe quæ tanto interuallo omnia omnium historicorum monu-

monumenta antecedũt, quantum quæq; illorum ab orbis conditi initio in posterum tempus absunt. Quamobrem cùm religionis nostræ tàm vetusta sit origo: vt eius principia à primi hominis fabricatione, adeoq; omnium rerum exordio ducantur, eò tutius in eius certitudine possumus acquiescere. Neq; enim immeritò Ieremias Propheta, ad considerationem temporum priscorum populum reuocat, vt recta via inuestigata (quæ est vera atq; vnica Dei agnoscendi & colendi primis hominibus tradita regula) insistant, atq; ingrediantur, & requiem ac refugium animabus suis inueniant,

ant, id est, conscientiæ tranquillitate & vera consolatione fruantur, quam neq; aliæ commentitiæ religiones præstare, neq; istarum siue autores siue propagatores polliceri queunt. Nec verò Moyses tanta autoritate Israëlitas ad seruandos cultus præscriptos & fiduciam in Domino collocandam adhortari ausus fuisset, (vt in Deuteronomio scriptum extat) nec populus tàm attenta auscultatione orationem eius comprobasset: nisi & ipse de vnica ac sincera religione ab initio creationis diuinitus patefacta, sanctisq; maioribus illius gentis vsurpata atq; culta certus, & vniuersus cœtus

de

de doctrinæ veritate tùm vetustatis memoria confirmatus, tùm etiam ingentium miraculorum testimonio conuictus fuisset. Cùm igitur diuinus ille Moyses in tàm graui concione populum, vetustißimi temporis, quo Deus hominem formârit, memoriam, recordari iubeat vltimam: non obscurè ostendit, vnum ex præcipuis veræ religionis testimonijs in antiquitate positum esse. De qua cùm hactenus satis dictum videatur, nunc de illius certitudine ac veritate, quæ ab antiquitate etiam aliqua ex parte pendet, deinceps erit dicendum. Atq; hoc quidem loco, vt ei, quam proposuimus,

certi-

certitudini firma fundamenta ponamus, principiò illa sunt mente atque cogitatione reuocanda, quæ de doctrinæ nostræ diuina origine dicta sunt superius. In ea enim veritatis atq; certitudinis ratio omnis fundatur. Cùm enim à DEO nihil nisi verum oriri possit: atque omnis veritatis oratio simplex sit & rebus ipsis, sibiq; consentanea: eam religionem, quæ & à Deo ortum habet, & aperto ac simplici verbo est tradita, omnibusq; partibus in explicatione sibi constat, solam veram certamq; esse necesse est. Verum enim, quodcunque est, à se ipso dissen-

dissentire non potest: & falsum est quicquid est lubricum & inconstans. Quod in nostro instituto planum fiet, si tùm Ethnicarum gentium quarundam, tùm aliarum etiam sectarum, in opinionibus de religione, tùm discrepantia atq; absurditas, tùm inconstantia & præstigiæ conferantur cum verbi simplici certitudine & veritate. Videamus igitur, quanta sit humanarum mentium caligo, quàm horrendi errores & furores sine verbo per Prophetas & Apostolos tradito vagantium. Horum enim pars magna vel Deum negat, vel dubitat an sit Deus? pars maior nescit &

ſcit & quid & qualis ſit Deus, pars maxima innumerabilem Deorum multitudinem fingit, Deumq; verum deridet. Nulla gens eſt, inquit Cicero, tàm fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat. Nihilominus verò Calaitis nullus fuit omnino Deus. Et ab Academicis omnia diuina in dubium incertumq; vocata ſunt, vt eorum ancipites fuerunt viæ rationesq;, & pro omnibus, & contra omnia diſputandi. Celtiberi innominatum coluerunt Deum: & Philoſophi quàm parùm de Deo ſcire potuerint, Simonides indicat: qui, cùm quæſiſ-

set ex eo Hiero, quid aut qualis esset Deus, deliberandi spacium sibi vnum diem postulauit: cùm idem ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: cùm sæpius duplicaret numerum dierum, admirãsq; Hiero quæreret, cur ita faceret? quia (inquit) quanto diutius cogito, tanto mihi res videtur obscurior. Græci superstitiosissimi cunctos propè angulos Diis impleuerunt, tot templa, tot aras, tot imagines, tot idola, tot delubra condentes et erigentes. Triginta Deorum millia Hesiodus facit: trecentos Ioues M. Varro recensет: Orpheus trecentos & sexaginta Deos confitetur: Lacedæmonij, nõ

timori

timori solùm, sed morti etiam & risui templa consecrârunt. Lapidibus item, stipitibusq́ & serpentibus aliisq́ brutis honores diuinos exhibuerunt. Aliis etiam Ethnicorum, dij non sunt domi, aliis dormiunt vel dormitant, vel negociis, nescio quibus, sunt distenti, cùm auxilio opus est; aliis diuersa fuerunt numina, qui à diuersis diuersa petiuerunt bona: à Marte victoriam: à Neptuno ventos secundos: ab Æsculapio sanitatem: vt recentiores à S. Georgio, à Christophoro, à Rocho & aliis, quibus templa dedicârunt, & inuocationis honorem detulerunt. Diagoras Cyclopica feri-

tate furenter ridet Deum, cùm Herculem ſuum ligneum in ſcandulas fiſſum tredecimum laborem ſubire, & obſonia coquere iubet. Epicurus ab omni procuratione rerum humanarũ Deum remouet, & animas hominum vnà cum corporibus interire ſtatuit. Calecutij etiam, qui Indiæ celebre emporium incolunt, ipſum Diabolum diuinis cultibus placare dicuntur, vt in pœnis perſequendis, quibus eum Dei iuſſu præeſſe opinantur, eò leniorem ſe delinquentibus præbeat.

O miſeras hominem mentes! ô pectora cœca!
O inſipientem mortalium in rebus

bus diuinis ſapientiam, quæ dum præter rationis lumen nihil habet, quod ſequatur, verè ſimilis eſt tortuoſo & obſcuro viſo atq; ſomnio, cuiuſmodi ſecundum quietem obijci ſolet delirantibus. Etſi enim in quibuſdam igniculi illi notionis de Deo & virtutum diſciplina à natura dati, clarius nonnunq̃, quaſi ſcintillulæ è cineribus, micuerunt, vt Deum eſſe mentem æternam ſtatuerent, & à commentitiorum cultuum ſtultitia & ſuperſtitione abhorrere viderentur: tamen illi ipſi, cùm redemptorem Chriſtum eiusq; beneficia ignorarent, neq; in religione Deo adhibenda, certi verbi

legibus regerentur; informatam illam de vno Deo cogitationem non retinuerunt constanter, quòd verum Deum, cuius agnitionem, certiorem sibi præ vulgo arrogârunt, pro receptis cuiusq; loci moribus colendum esse sunt opinati. Quoniam igitur singulorum penè oppidorum peculiaria nõ quidem adeò numina, quàm idola fuerũt, peculiaribus etiam ritibus & sacrificiis coli solita: sapientes illi qui rectè de Deo sentire se putabant, nihilominus alios atq; alios sacrorum ritus, pro hominum instituto cum vulgo amplexi, nugas pro veritate & ipsi receperunt, et in aliis stabiliuerunt. Quineti-

am

am Diaboli astu in eum furorem teterrimæ idolomaniæ miseri homines adacti sunt, vt specie religionis fascinati, humanis hostiis latarent: & ex liberorum suorum cæde & sanguine aut summa laudem pietatis quærerent, aut Deorum certam sibi sperarent placationem. Hæc tàm manifesta atq; aperta sunt, vt longa probatione non egeãt. Testis est Strabo, testis Pausanias et alij. Quid enim est, quòd puero formoso in honorem Bacchi necato, & sacrificato pestis tolli est credita? quid est, quòd aduersus Orchemenios Thebanis addicta est victoria, hac conditione, vt is, qui et generis et animi

nobilitate omnium ciuium esset præstantißimus sibi vitam abrumperet? Quid Hecuba? quid Iphigenia Aulidensis? quid Phœnissæ? quid Heraclidæ Euripidis ostendunt? Quid Oedipus tyrannus Sophoclis? & plurima alia, quæ alibi extant. Quorsum n. attinet Diaboli sarcasmos & amarulenta ludibria plurima pluribus commemorare, cuius instinctu & impulsu tantis se flagitiis & sceleribus homines polluerunt & deformârunt, vt eorum indignitatem turpitudinemq; fugiat & reformidet oratio. Atqui in tàm variis tamq; discrepantibus de Deo opinionibus, & cultuum

tanta

tanta dissimilitudine, tanta absurditate, tanta crudelitate, tanta deniq; turpitudine, nulla neq; certitudo, neq; veritas, neq; pietas, neq; religio non modò inesse, sed ne cogitari quidem potest. Vt enim nihil esse verum potest, nisi idem sibi sit consentaneum: sic pium ac religiosum ad placandum Deum fieri non potest, quod cum immanitate et turpitudine coniunctum sit. Quoniam quæ Deus fieri vetat, quæq; ab omni sunt ratione atq; humanitate aliena, iis profectò coli aut honorari nullo modo volet. Sed cùm vnus & idem sit atq; immutabilis ille humani generis procurator, & mundi mo-

rator Deus: non aliter se vult agnosci, non aliter de se cogitari, nisi vti se cognoscendum præbuit: vti de se cogitari præcepit: neq; alium vllum sui colendi modum approbat, atq; illum vnicum, quem in verbo suo certa & stabili ratione præscripsit. A quo cùm tàm longè gentilium superstitio, tanta cum opinionum dissidentium dissimilitudine & cultuum immanitate discedat: quis tàm excors est, vt illorum religionis vanitatem non videat? contraq; verbi diuini certissimam atq; immotam veritatem non animaduertat? Iam verò pontificia religio, quamuis in sacrosanctæ

Tri-

Trinitatis adoratione à vera Ecclesia se non disiungat, & sacra scripta retineat: & Mediatoris Christi nomen precibus suis atq; superstitionibus obducat: tamen quia homines mortuos inuocationis honore affectos in Deorum numerum refert, re vera multos fingit Deos: Et quoniam variis atq; iis inter se dißidentibus, tùm monastica vitæ regulis atque obseruationibus, tùm fictis humanorum cultuum meritis, æternæ vitæ hereditatem adiri posse & debere docet, eóque ipso, Christi honori detrahit, in multisq; aliis & doctrinæ capitibus & sacramentorum ratione à verbi nor-

norma aberrat: nonne falsitatem vanitatemq; suam manifestè prodit? Mahometista etiam & qui nostra ætate sunt Iudæi, ex Romanorum militum spuriis orta progenies, religionis suæ veritatem nulla possunt specie defendere: sed in summa inanitate & errore versantur. Nam præterq; quòd temporis subducta ratione vtraq; secta facilè potest refelli, (vt ex Michea & Daniele perspicitur) etiam inde falsitas apparet, quòd à fundamento vtriq; discedunt: dum & Trinitatem in Deo furiosè pernegant, & filium Dei contumelia afficiunt. Neq; enim intercessorem & redemptorem agno-

agnoscunt, sed beneficia illius superbissimè respuunt, & vtriq; ceremoniis & rectè factorum virtutumq; meritis iustitiæ laudem & vitæ æternæ præmia aucupantur, prætereaq; Turcæ totam scripturam abijciunt. Quod si & Enthusiastarum & Manichæorum, & Anabaptistarum aliarumq; sectarum deliria atq; furores, vel inter se diuersitates conferantur, vel sua cuiusq; opinionis tùm inconstantia & temporibus facta inflexio atq; mutatio: tùm etiam diuersorum magistrorum decreta, discrepantesq; sententiæ huc accersitæ examinentur: quàm horribilis humanarum mentium cæci-

cacitas deprehendetur, quàm immensum errorum mare se effundet, quàm tetra apparebunt Diabolicarum deceptionum præstigiæ!

Fixum igitur illud maneat, Ecclesiæ doctrinam, cùm simplicem sententiam iuxta consensum verbi patefacti amplectatur, neq; de Deo eiusq; cultibus aliter sentiat, quàm ipse se manifestauit, exploratissima certitudine & clarissima veritate nixam consistere. Id quod plurimis etiam aliis & iis euidentissimis rationibus potest & argumentis demonstrari. Cùm enim videmus antiquitatem primùm (de qua paulò antè dictum est) quia verissimum

mum quodcunq; prius, adulterinum verò quodcunq; posterius, deinde miracula quæ edidit & addidit, verbo suo Dei omnipotentia diuidens vndas maris rubri, inhibens cursum Jordanis, sistens currus Solis volantes, igni vim vrendi adimens, mortuos in vitam reuocans, tùm ipsum genus doctrinæ res grauissimas & longè supra philosophiæ & rationis humanæ conspectum positas complectens, de Dei vnitate in essentia & trinitate eiusdem in personis, eiusdemq; voluntate, de conditione hominum rerumq; ex nihilo, de causa peccati & calamitatum & mortis humanæ, de remediis salu-

salutaribus opponendis peccato, calamitatibus & morti, de placanda, ira Dei per Christum, de resurrectione corporum, de immortalitate & salute æterna: tùm experientiam vniuersalem omnium piorum, qui in seriis doloribus & in ipsa morte veram & sinceram consolationem & pacem conscientiæ ex sola Ecclesiæ doctrina percipiunt, tùm præsentiam Dei, admirandam Ecclesiæ conseruationem, cùm semper Deus inde vsq; à creatione mundi adfuerit iis, qui amplexi sunt doctrinam veræ Ecclesiæ, eosdemq; mirabiliter inter imperiorum ruinas, inter religionum confusiones,

inter

inter persecutionum procellas texerit, defenderit, propagârit: tùm vaticinia Prophetarum de aduentu, de stirpe, de loco natiuitatis, de tempore, de modo passionis Christi Messiæ & redemptoris, de liberatione Israelitarum, de eductione populi ex Ægypto, de monarchiis & eiusmodi rebus maximis & remotissimis: tùm vehemens illud odium & immanem Diaboli furorem aduersus hanc doctrinam: tùm annorum mundi seriem, qua nulla melior extat, quàm in sacris literis: tum notitiam legis diuinæ integram, quæ in sola ecclesia Dei viget, cuius ignaræ gentes contra edi-

ctum sexti præcepti (vt de eo solo iam loquar) vagas libidines & diuortia non concedenda concesserunt: sicut in Lycurgo, in Pericle, in Catone, in aliquot millibus fœminarum & virginum, quæ in honorem Veneris se prostituerunt; vt eam sibi deuincirent, & Xerxem cum innumerabili multitudine appropinquantem à Græciæ finibus auerterent: tum pœnas derisorum & blasphemorum & persecutorum huius doctrinæ, interitum Pharaonis, Achabi & Iesabelis supplicia, mortem fœdissimam Herodis, tragicum Neronis exitum, horribilem occasum apostatæ Iuliani

liani, & hæreticorum Cerinthi, Arrij & impij Olympij, quem multa conuitia in S. Trinitatem effutientem tribus fulminibus ictum perijsse, & cadauer eius exustum esse inuentum Eusebius testis est; vt interim nihil de mille aliis dicam: tum deniq; insignia tot martyria eorum, qui pro Christo vitam profundere summum decus esse certissimè crediderunt, & efficaciam huius religionis aduersus tyrannorum impetus, & ignita Diaboli tela probè muniti, redditiq; animosissimi persenserũt. Hæc et quidem præterea alia multa si quis cogitet, queat ne dubitare quin & certitudo & veritas doctrinæ

ctrinæ cœlestis ita certa, ita veræ sit, vt nec certior, nec verior esse possit.

Quoniam igitur de his nunc satis: venio ad reliquos vtilitatis et consolationum locos, ex quibus ipsa sacræ doctrinæ tum perfecta atq; absoluta ratio, tum finis etiam atq; exitus salutaris cognoscitur: Qui loci quoniam latissimè patent, & tùm per superiores fusi sunt, tum etiam ipsi cognatione quadam inter se continentur coniunctim potius quàm sigillatim videntur esse tractandi. Quis .n. tantùm vel ingenio vel scribendi et dicendi facultate valeat, vt aut vtilitates sacrarum literarum

infini-

infinitas enumerare, aut vberrimos consolationum fontes exhaurire, aut deniq; absolutissimam earum perfectionem aut finem, videlicet salutis æternæ glorioſum ſtatum oratione adæquare poſsit. Profectò has res ampliſsimas qui perſequi dicendo velit, is in latiſsimum atq; immenſum nouæ orationis campum excurrat neceſſe eſt: quod quia neq; ingenij mei neq; temporis anguſtia patitur: locos hoſce copioſiſsimos velut in ſummam contractos breuiter ſaltem perſtringam. Ac quicquid de his rebus eſt dicendum, cur aliunde malimus, quàm ex ſacris literis depromere, atq; ita depro-

mere, vt quas vtilitates homo ab initio ortus sui vsq; ad vitæ exitū ex uerbo Dei capiat, intelligamus.

Ac primò vt homo naturali procreatione natus, patris sui filius agnoscitur atq; existit, omniumq; vel bonorum vel malorum, quorum particeps erit, capit initium: sic idem per semen incorruptibile viuifici verbi Dei denuò natus (vt Petrus inquit) à Deo ipso filius adoptatur, et à filio Dei in arctissimam fraterni tum amoris, tum etiam hereditatis societatem recipitur. Quæ quanta sit dignitas nulla humani animi vis cogitando assequi potest. Deinde postquam renati adoptionis

ius

ius sumus adepti, etsi cœlestem illum atq; summum patrem oculis intueri non possumus: tamen eiusdem verbi luce agnitio sui in mente nostra accenditur, vt sciamus & quis sit, & quo animo erga nos sit affectus, ne velut expositiij parentum amore ac cura destituti in perpetuò exilio iactemur: sed Deum ipsum verè amantissimum nostri parentem agnoscamus, ab eoq; ita pendere, possimus: vt qui nos aliquando ab huius vitæ exilio reuocatos in ipsam possessionem æternorum bonorum sit immissurus. Interim ne planè incertis sedibus erremus, tanq; ab eo deserti, in domum su-

am nos collocat, quæ est Ecclesia: ad quam nos eodem verbo vocat, cuius vocem si custodierimus ipse ad nos venturum se promittit, & nobiscum habitaturum, ita vt ipsi templa & domicilia Dei efficiamur. Quid nobis hoc potentissimo & ditissimo hospite recepto deesse poterit? aut quid mali erit metuẽdum? aut quo bono non fruemur? De huius quippe optimi patris amore, & fidissimi amici beneuolentia, & suauissimi hospitis præsentia dulcissima, ac de huius summi & potentissimi patroni defensione certus rex Dauid, cœlum & terram, imò vitam ipsam pro nihilo ducit, & facilè iis, etsi alioquin

quin rebus carissimis, carituru[m] se ostendit, modò à Domino non deseratur: Etsi animo & corpore deficiam, inquit, tu tamen Domine robur cordis mei & recreatio.

Tanti est hæc Dei plenissima amoris præsentia, qua nobiscum fore se ostendit, si verbi studium non abijciamus. An non ingens est hæc sacrarum literarum vtilitas? quod Deum ipsum tàm arcta necessitudine nobiscum coniungit? Tum ne fortè aberrantes ab hac salutari coniunctione Dei in nobis habitantis, à via deflectamus, & hunc optatissimum hospitem & patrem suauissimum à nobis, falsis de ipso opinionibus ac

vitæ improbæ sceleribus alienemus, atque è domicilio Dei & societate sanctorum eijciamur, perpetua verbi & assidua institutione atq; doctrina nos regit, & in veritate sua nos sanctificat & confirmat. Quod quidem eximium beneficium ipse Dei filius ardentissima intercessione & precibus nobis à patre impetrauit, vt ex Iohanne perspicimus. Et (quod penè præterij) etiam nos ipsi verbo Dei ad inuocandum Deum, non modò erudimur, sed etiam inuitamur, vt cum Deo tanquam patre familiariter colloqui, omniaq; necessaria ab eo petere audeamus, adeò vt nihil sit

in

in vlla vitæ ſpiritualis & ciuilis parte atq; officio, in quo non immenſi verbi Dei fructus ſaluberrimos capiamus.

Fremant licet omnes (inquit orator Ethnicus) dicam quod ſentio: Bibliothecas mehercle omnium Philoſophorum vnus mihi videtur duodecim tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & autoritatis pondere & vtilitatis vbertate ſuperare. Quod quidem elogium vt decem præceptis legis diuinæ, leges duodecim tabularum multis poſt ſe paraſangis relinquentis, veriſſimè competit: ita omnibus ſacræ ſcripturæ libris (ſi id dicimus quod

quod res est, vt certè dicere debemus) & rectè & concinnè accommodatur. Cætera artes & res variæ neq; personarum neq; ætatum sunt, neq; temporum omnium neque locorum: Sacræ literæ omnis generis hominibus sunt vtiles, puericiam alunt, adolescentiam formant, iuuentutem erudiunt, viros in officio retinent, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium & solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, & quidem multò salubrius, quam illa studia, de quibus idem Orator loquitur, nobiscum pernoctant, peregrinantur rusticantur.

Eusebi-

Eusebius scribit, sua adhuc ætate fuisse ante ædes faminæ αἱμορροούσης à Christo sanatæ in vrbe Cæsarea Philippi (in qua ciuis illa fuerit) statuas æneas duas, quarum altera Christi, altera fœminæ illius profluuio sanguinis laborãtis genibus innixæ imaginem expressérit: ad pedes autem Christi herbam enatam cum summo vertice fimbriam ærei illius indumenti contigerit, statim πανάκειαν seu remedium aduersus omnes morbos fuisse. Faciamus hæc ita se habere aut potius habuisse. Liceat verò etiam nobis dicere quod sentimus: Sacra scriptura vera panacea est, quæ in rebus ægris, ambi-

ambiguis, & infelicibus ſalutem, conſilium, & auxilium nobis indicat, promittit, præſtat: neq; res vlla nobis tam aduerſa cogitari poteſt, ad quam vel planè abigendam, vel certè reprimendam & leniendam hæc medicinam facere non poſſit. Hæc panacea, hoc verbum nos triſtes exhilarat, proſtratos erigit, afflictos ſubleuat, dubios regit, præcipites coërcet, errantes in viam reducit, ſegnes excitat, defeſſos reficit, infirmos confirmat, cum Dracone antiquo bellum gerentibus arma et vires ſufficit; credentibus iuſticiam fidei annunciat, contradicētibus manſuetè quidem ſed tamen fortiter reſpon-

respondet: Ita verè mirifica & multiplex vis atque virtus vtilitasq́ manifestißima inest viui Dei verbo piè, reuerenter, sobriè lecto, audito, cogitato. Meritò igitur Propheta Dauid felicem illum pronunciat & beatum, qui verbum Domini die ac nocte meditatur: verbum Domini perfectum recreans animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: Mandata Domini recta, lætificantia cor: Præcepta Domini pura, illuminantia oculos, desiderabilia super aurum & obryzum multum, et dulciora melle & fauo, vt eiusdem regij Prophetæ verbis neruosißimis

mis

mis vtar. Idem D. Paulus ad Timotheum scribens apertè affirmat & diserte asserit, cùm iubet eum à puero sacras literas discere, quibus erudiatur ad salutem. Omnis enim (inquit) scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus fiat Dei homo, ad omne bonum opus paratus. Ad extremum cùm hoc misera vita cursu confecto etiam eidem illi verbo promissionis de vita aterna, certa fiducia, velut fœtus secundinis, inuoluti, placidè in sinum veri patris deportamur, summum atque extremum diuini verbi finem

adipiscimur vitam aternam: cuius latitiam & gloriam admirandam ne animo quidem capere possumus, tantùm abest, vt verbis exprimere queamus. Quòd si immensos hosce verbi diuini fructus & vsum multiplicem & vim atq; efficacitatem admirabilem animo intuentes, cum homine ab ortu vsque ad exitum vitæ atq; portum ipsum salutis conferamus, luce meridiana clarius erit, sacras literas non solùm maximis vtilitatibus & consolationibus abundare, sed & omnia quæ ad salutem humani generis pertinent, & perdiligenter complecti & plenè suppeditare.

Habetis ea, quibus sacrarum literarum dignitatem & praestantiam quasi ductis primis lineis adumbrare instituí, vt quomodocunq; ostendere conarer, nullam esse in genere humano sapientiam aut scientiam rerum tantam, siue originem atq; antiquitatem spectemus, siue eam ex certitudine & veritate metiamur, siue ex vtilitate, suauitateq; æstimemus, siue denique perfectionem, finem & extrema expendamus, quæ cum sacrorum librorum atq; Ecclesiæ vera doctrina, vel minima ex parte possit comparari: nec esse in hoc orbe terrarum tanti precij res vllas, quin ab hoc amplissimo

diuinæ

diuinæ sapientiæ thesauro splendore atq; vsu longè lateq; superentur. Quæ etsi apud vos viri clarissimi & auditores optimi probatione non eguerint, tamen hoc argumento orationis initio non inconueniente me ipse ad maiorem ardentioremq; sacrarum literarum amorem & studium excitare & inflammare volui.

Quia autem, vt grauissimè sanctissimeq; Irenæus dixit, à Deo discendum est, quod de Deo dicendum est: & sine Deo, discere Deum nemo potest, ideoq; per verbum, Deus docet nos scire Deum, toto pectore et ardentibus votis oro æternum, viuum, &

verum Deum, & nobis natum & datum Seruatorem IESVM Christum, λόγον & doctorem Ecclesiæ suæ supremum, sedentem in templis & scholis in medio docentium & discentium doctrinam ab ipso diuinitus patefactam, vt ipse Spiritu sancto suo verbum salutis nos doceat, nos in veritate sua sanctificet & confirmet, nostras cogitationes, studia, & labores ad nominis sui gloriam et ecclesiæ vtilitatem benigne iuuet, feliciter promouehat, & clementer gubernet.

DIXI.

Subiunxi quædam præcedentibus conuenientia: ne reliquæ pagellæ venirent inanes.

Chrysost. in præfatione in expositionem epistolæ Pauli ad Roman.

Βιβλία ψυχῆς φάρμακα.

Idem in explicatione 15. cap. epist. ad Rom.

Ἑκαστον τῶν ῥημάτων θεοῦ πέλαγος ἀκαινὲς ἔστι τῶν νοημάτων.

Hierony. in commentarijs in 1. cap. ad Ephesios.

Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in Diuinis scripturis plena sunt sensibus.

Basilius in constitut. exercitatorijs.

Πρῶτος μὲν γε ἐστὶν ὁ πανδαμάτωρ λόγος, τὰ δ' λοιπὰ πάντα δεύτερα.

Nazianz. oratione de modestia in disputationib. seruanda.

Φθέγγου μὲν τὰ τοῦ πανδάματος, κἀμὲ εἰ δυνατὸν, μηδ' ἀλλ' ὅπα.

Augusti. 2. Epist. ad Volusia:

Modus ipse dicendi, qua Sacra scriptura contexitur, quamuis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atq; doctorum: Ea vero, quæ in mysterijs occultat, nec eloquio ipso super-

bo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quod non solum manifesta, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata suauiter intimantur: his salubriter, & prauа corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.

VOTVM

Pro Illustrissimo principe & Domino, D. VLRICO, Duce Megapolitano &c. domino suo clementissimo, Ex comitijs Augustanis feliciter reuerso, Scriptum à IOHANNE FREDERO.

Optime seruator vitæ, dator alme bonorum,
Vere Deus, qui cuncta foues, qui cuncta gu-
Sufficis & magnos heroas maximus orbi, (bernas,
Summus honos, laus summa tibi sit, gloria summa,
Qui patriæ patrem, decus orbis, lumen auorum,
Magnanimum Heroem magnum virtute fideq;
HVLDRICVM (est diues cui gratia nomen & o-
Incolumem seruas patriis aliisq; sub oris: men)
Qui sibi subiectis bona præstantissima terris,
Illustrem verbi lucem, qua sydera adimus,
Ingenuas (regitur quibus orbis maximus) artes,
Iustitiam (quæ res, famam, vitamq; tuetur)

Et pa-

Et pacem (meritis quæ laudibus aurea fulget)
Dotibus innumeris fœcundam pandit, & ornat
Templa, Lycea fovet, pietatis nutrit alumnos.
Candida Relligio præluſtria dona recludens
Erigit optatos excelſo in Principe vultus,
Cui comites adſtant: ſpirans Sapientia odorem
Balſameum, & roſeo Bonitas ſpectabilis ore,
Aßidet his Grauitas læta auguſtißima fronte,
Quæq; gerit gladium dextra, lancemq; ſiniſtra,
Quæq; modum ſeruans Moderatio tempera tomnîa,
Et quæ fida timet nullos Conſtantia caſus,
Atq; cui cingit felicis ramus oliuæ
Tempora, cui ſceptrum palma eſt, quæ inuicta reſi-
Magno oneri aërias nitendo ſemper ad auras, (ſtit
Marte potens, patriam defendens fortibus armis,
Vt pietas, artesq; bonæ legesq; pudorq;
Caraq; Libertas niueis redimita coronis
Floreat, & ſeros beet inuiolata nepotes.
Ecquis ſancta piè pro tali principe vota
Ardentesq; preces fundendas eſſe negârit?
Conſpiciens tantas illuſtri in pectore dotes,
Auguſtumq; decus generoſo in pectore florens. (tus,
Certè ego dum viuam, reget, hos, dum ſpiritus, ar-
NATE DEI, patriæ patris (qui dulce tot annos
Hoſpitium Aönia mihi præbet in vrbe Roſarum,
Illuſtriq; meas nutrit bonitate Camœnas)
Non intermittam tibi commendare ſalutem.

Tempus

Tempus erit, quando tribues sua præmia cuiq;.
Tunc proceres inter cœli regesq; beatos
Cum Dauide pio, cum Ioſaphatoq; fideli
Hunc fulgere tuo cernemus munere clarum,
Aureus in claro veluti Sol fulget olympo.
Omnia tu ſeruas, tu ſerua maxime Princeps
Chriſte ducem, præclarum oculũ, columenq; ſuorũ,
Tam bene de patria Rex protege ſumme merentem
Heroa, & fauſtos illi tua proroget annos
Gratia, cum patriæ æterno decore Heroïna
ELISABE, & prole, & patriæ ſpe ſoſpite terræ
Principibus, reliquiſq; viris, quibus inclyta fulget
Aula: petunt homines è qua ceu fonte ſalutem.

ando tribues sua præmia cuiq;,
Tu cœli regesq; beatos
Cum m Iosaphatoq; fideli
Hu nemus munere clarum,
Au uti Sol fulget olympo.
, tu serua maxime Princeps
Chr larum oculũ, columenq; suorũ,
Ta Rex protege summe merentem
Her tua proroget annos
Gra æterno decore Heroïna
EL , & patriæ spe sospite terræ
Pri q; viris, quibus inclyta fulget
Au es e qua ceu fonte salutem.

UB Rostock
05 15000
Patch Reference numbers on UTT
Scan Reference Chart TE263 Serial No. 093
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1041388195/phys_0081